



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 36. Procerum Franciæ querelæ, atque postulata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

curavit, in quibus nonnulli Optimates numerosos prædonum manipulos alebant, qui in hanc Provinciam violenter grassari solebant. Cum vero Lemovicum attigit, ad aures ejus delatum est, a Princibus adhucdum adversus Regni administrationem secreta fabricari molimina, atque eo consilio Aureliæ, Burgundiæ, Borbonii, & Alenconii Duces Niverni congregatos, ut communis consilio inter se conferrent de opportunis mediis, quibus prætensos honorum gradus suis meritis, ac generis nobilitati debitos sibi restitui procurarent. Rex missis suo Cancellario Domino de Bellomontio, aliisque Proceribus, nomine suo illis significari jussit, sibi summopere eorum conventum displicere, caussam vero hujus congressus edoceri velle. Principes hisce Regis monitis abterriti, ulteriora tentare non audebant, sed sua gravamina, & querelas Cancellario exponentes, easdem ei scriptas dederunt, ad Regem Lemovicum, ubi adhuc degebat, deferendas.

Sæcul. XV.  
A.C. 1442.

*Joan. Char-  
tier. hist.  
Car. VII.*

### §. XXXVI.

#### *Procerum Franciæ querelæ, atque postulata.*

Inter cetera præcipue querebantur, pacem cum Anglis perperam differri, Juges

Sæcul. XV. dices tam pro supremo Senatu, quam re-  
A. C. 1442. liquis justitiae Curiis indignos omnino  
 feligi; populum tributis, vectigalibus,  
 subsidiis, atque gabellis immodice grava-  
 ri; Principes regio sanguine ortos in ma-  
 ximi quoque momenti negotiis a Con-  
 filio turpiter excludi; Nobilitatis privi-  
 legia passim ac maxima ex parte violari;  
 denique Regis Senatum nonnisi ex ho-  
 minibus, qui proprii commodi studiosi,  
 privatis suis affectibus servirent, conflat-  
 tum esse. Præter hæc a Rege pete-  
 bant, ut Niortum, atque Sansusannam  
 urbes Alenconio Duci restitueret, nec  
 non ut tam huic quam Borbonio, ac Vin-  
 docinensi Comiti debita pensio solvere-  
 tur, tandem Atrebatus tractatus, cu-  
 jus plurimos articulos singulis diebus  
 impune violari, Burgundiæ Dux quere-  
 batur, exacte servaretur.

## §. XXXVII.

*Regis responsum ad has querelas.*

Rex dolori nonnihil temperandum ra-  
 tus, Principum Delegatos sat comi-  
 ter habuit, atque ad singula libelli capita  
 respondit. I. Penes se solum non stare,  
 quod pax cum Anglis haud sancta  
 fuisset, his continuo quascunque condi-  
 tiones sibi oblatas respuentibus; II. Me-  
 lioris notæ Viros, quantum sibi con-  
 staret,